

ex omnibus nationibus, regnis, provinciis, ducibus. Quis enim recenseat numerum sanctorum pontificum, cardinalium, episcoporum, abbatum, religiosorum, imperatorum et imperatricum, regum et reginarum, virginum ac mulierum? Deinde, quot præcones sancti, qui primi fidem catholicam invexerunt in mundum, uti in Germania per singulas dioceses? Rursum quam innumera et ditissima passim fundationes diocesum, monasteriorum, ordinum equestrum, hospitalium? Quanta ecclesiasticarum dignitatum auctoritas et honor? Quantus undique doctorum et doctissimorum librorum numerus? Quantus templorum ornatus et copia? Quantus sanctorum caeremoniarum decor? Quantum perfectionis studium in sanctis religionibus et confraternitatibus. Hæc et his similia tanto tempore videtis o hæretici, in Ecclesia catholica, et novistis eam esse arborem illam sinapis, quæ paulatim ita excrevit ex parvis initiis in ramos, id est, instituta ordinum et religionum; in folia, id est, scientias sublimissimas; in flores, id est, sanctos viros; in fructus, id est, studium perfectionis et operum heroicorum; in corticem sanctarum caeremoniarum, etc.

Et quid simile quæso, cernitis in vestris cætibus? Nihil aliud, nisi quod ejusmodi decorem et fructus Ecclesiæ Christi exterminastis. In una Anglia dicuntur mille monasteria ab Henrico VIII. fuisse in profanos usus conversa, ut refert auctor libelli de schism. Anglic. Idem decem millia templorum profanasse dicuntur; juxta notum versum:

*Millia dena unus templorum sustulit annus.*

Sanctorum vere ne unum quidem proferre possunt, qui communi hominum judicio talis habitus sit. Neque enim alicujus sanctitatis indicia aut argumenta in aliquo demonstrare possunt: cum nullum apud eos sit perfectionis studium; nulla virginitas, nisi personarum quæ a nuptiis excluduntur, et ipsi prædicantes non tolerantur, nisi uxores ducant; nulla voluntaria obedientia; nulla paupertas nisi coacta.

Dignitas et honor personarum ecclesiasticarum plane apud ipsos periit: nec mirum quia laicos tantum et sibi similes pastores habent.

Libri eorum pauci et scabiosi, scommatibus tantum et mendacis pleni sunt.

Sacri ritus in templis nulli. Eadem semper crambe quotidie apponitur in eorum templis: nulla festorum aliarumque solemnitatum varietas, unde et nulla devotio.

Illud vero intolerandum est; quod interim reformatores audire volunt, et religionem suam vocant reformatam: et quid est reformare? Nonne ad meliorem statum et arctiorem vitam recedere? Hocce fecerunt hæretici?

Quæ cum ita sint, non video quomodo nostri hæretici (modo aliquid sapiant) excusari de errore possint: cum in meridie cæcutiant: imo arbitror, comparatione illorum mitius fore hæreticis antiquis in die judicii, quam nostris, quia tam manifesta fidei argumenta illi non viderunt. Sed quid tandem est, quod in Ecclesiam non redeant, quam vident esse veram? Nimirum: *Confiteor tibi Pater, ait Dominus, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*, Matth. XI. Qui ergo parvulus et humilis non est, nec subjicit se Ecclesiæ, non agnoscat Christum. Antonio ostensus est mundus laqueis undique plenus, et abjectum solum humilem posse illos evadere: solus ergo humilis e laqueis evadet hæreseon.

#### CONCIO VI.

QUÆ BONA SINT IN COELO

I. Scientia beatorum. — II. Gloria. — III. Potestas. — IV. Libertas. — V. Pax. — VI. Gaudium. — VII. Securitas. — VIII. Voluptas varia. — IX. Securitas sine fastidio. — X. Abundantia. — XI. Dei gratia. — XII. Amicitia. — XIII. Pulchritudo. — XIV. Vita æterna.

#### THEMA.

*Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis.*  
Joan. XIV.

Verni hujus temporis et omnis generis florum undique pullulantium amœnitas jure merito excitare non deberet, ut ad cælum suspirantes celestem amœnitatem oculo fidei contueri, et ardentibus desideriis optare deberemus. Est enim vernum tempus, et hortorum pratorumque amœnitas, qualis typus celestis beatitudinis, idcirco enim illa vocatur a Christo *paradisus*, id est, hortus deliciarum: idcirco ab eodem ætati comparatur, Luc. XXI. *Videte ficulnam, inquit, et omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas: ita et vos cum videritis fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Idcirco denique sanctissima illa Virgo martyr Dorothea, ab Apricio præfecto aliquamdiu torta, cum jam ad capitale supplicium duceretur: *Gaudio, aiebat, me ad sponsum pergere, cujus paradisus omnium florum ferax, amœnitas vernalis, quam dic,*

*possit, etc.* Quam cum Theophilus scriba irrideret, dicens ut sibi ex horto sponsi sui mitteret poma et rosas: spondit illa, et postquam martyrio defuncta est, misit ei de celesti paradiso brumæ tempore, per juvenem pulcherrimum, angelum videlicet, tria poma et tres rosas, tam mirifici odoris et coloris, ut eorum suavitate mox conversus, qui prius irridebat religionem Christianorum, postea prædicaret, et pro ea jugulum gladio submitteret, nihil jam ambiguus de illius paradisi pulchritudine, ut refertur in vita S. Dorotheæ, apud Surium, tomo I. Quoniam igitur nunc tecta fastidimus et in campos exspatiatur, ad contuendam veris amœnitatem, exeamus et nos, et rogemus Deum cum Philippo, ut nobis ostendere vel a longe dignetur flores et herbas illius magni prati, quod supra nos videmus.

I. Porro: florem unum lingua nostra *stellam* vocamus a stellari figura. Est sane hic in cælo, quia in beatis est scientia sine errore. Promittitur hic flos justis, Apoc. II. a Christo, ubi ait: *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam*, hoc est, lumen gloriæ, quo anima post noctem hujus sæculi illustrabitur, ut omnia quasi in die clare videat. Ut exponunt Richardus Victorin. Primasius Aretas. *Quid enim non vident, qui videntem omnia vident?* ait S. Greg. II. moral. c. III. et S. Bernard. serm. de triplici genere honorum ait: « Si aliquid nos latuerit, numquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos, et ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia, quæ in cælo et in terra sunt, perfectissime cognoscemus, etc. » Quanta delectatio foret cæco nato, videre uno aspectu totius mundi pulchritudinem? Et quid erit, videre quæ in cælo, quæ in terra sunt? Hic certe pleræque palpando tantum velut cæci indagamus, et colligimus per discursum, unum ex altero arguentes: non videmus substantias in se, non differentias, proprietates, non vires, ac ne propriam quidem animam: ibi aperientur oculi nostri, et hæc aliæque omnia videbimus. Ut ergo per tubum perspective, nuper inventum obscura fiunt manifesta, et minima fiunt magna, non sine stupore et admiratione perspicientium, ita erit in cælo, etc.

II. Alius flos dicitur *honoris gloria*. Hinc in cælo est honor et gloria beatorum. Ait enim apostolus ad Roman. II. *Reddite unicuique secundum opera ejus iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt vitam æternam*: et paulo post: *Gloria et honor et pax omni operanti bonum*. Similiter David Psalm. CXXXVIII. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est princi-*

*patus eorum*. Quod si amici Dei, quod si principes sunt, quanta est hæc gloria? Sed omnia superat quod Apoc. III. promittit Dominus vincentibus: *Qui vicerit, ait, dabo ei sedere in throno meo sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus*. Ingenti gloria affectus putabatur ab omni Ægypto Joseph, quando rex tulit annulum de manu sua et dedit ei, quando fecit eum ascendere super currum suum secundum quo a rege vehi solebat, Genes. XLI. scilicet secundum sed quanto majus est poni a Rege cæli in ipsiusmet throno, ipsiusmet manibus? Et si ita honorat in cælo sanctum aliquem ipse Deus, quomodo honorabunt eum angeli cæterique sancti? Videre possumus hujus gloriæ typum aliquem in terris; quis enim nescit, quanto in honore habeantur in terris sancti? Ipsi templi et dies festi dicantur, reliquiæ eorum religiosissime asservantur, nomina eorum in veneratione habentur, instituta et vivendi ratio ab innumeris sectatoribus retinetur, etc. Et si tantum honorantur in exilio et ubi non sunt, quomodo honorabantur in patria et ubi sunt? Honor quem nos mutas nobis tribuimus, exiguus et periculosus est; parum enim est ab hominibus laudari, et sæpe asinus asinum fricat, et alter in alterius gratiam mentitur: *Sed quem Deus commendat, ille probatus est.*

III. Ibi est flos, qui dicitur *potestas*, designans beatorum potestatem sine obsistentia. Hanc significat corona beatis promissa, Apocal. II. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ*: sic Apoc. IV. vidit Joannes coronas aureas in capitibus sanctorum, designat autem hæc corona regiam beatorum potestatem, qua nihil non potuerunt et velut reges dominabantur. Quod etiam dixit Dominus, Matth. XXV. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*: et Apoc. I. *Qui vicerit et custodierit usque ad finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea*. Habent enim beati potestatem in dæmones, eos scilicet fugandi et coercendi, cum ad gloriam Dei hominumque salutem expedit: habent in peccatores, uti plurima exempla demonstrant, in quibus executores fuisse divinæ justitiæ adversus et hostes suos. Eam vero communiter exercebunt in die judicii, cum venient ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, etc. ut dicitur Psalm. CXLIX. habebunt potestatem in creaturas; si enim in terris tantam habuerunt potestatem in creaturas, ut bestias domarent ferocissimas, elementis præciperent, etc. quantam habebunt in cælis? Ratio est, quia: *Cum amicorum omnia sint communia, idcirco Deus potestatem et opes suascum sanctis communicat, ait*

Philo, lib. I. de vita Moysis. Qui regem benevoluntatem vel amicum habet, omnia sibi posse videtur: quid ergo non potuerunt qui Deum ipsum omnipotentem possident eumque per omnia sibi amissimum habent, et sibi in omnibus concordantem? Ipse omnibus creaturis, ut beatis obediant jubebit.

IV. Ibi flos heliotropii: hoc est libertas sine arctatione. Ut enim heliotropium vertit se cum sole, adeoque seipsum movet, præter naturam herbarum aliarum; ita beati in cælo arctati vel ligati non sunt, sed vim habent movendi se quocumque volunt. Testatur hoc apost. ad Galat. IV. cum dicit, matrem illam nostram, quæ sursum est Jerusalem, liberam esse. Libera est autem non tantum a peccato et morte: sed etiam ab omni necessitate, lege, impedimento. Quantis subjacent necessitatibus viventes quis non videt: pauperes ut inopiam fugiant, et necessaria conquirant, acerba omnia agunt et patiuntur, et sæpe in furta et latrocinia, adeoque in majores se miseras præcipitant. Iisdem necessitatibus affliguntur viri spirituales, imo et cives mundi; sed illis ingrata est ea servitus, his vero gratissima. Ab hac ergo liberi sunt beati. Deinde, liberi a legibus; quia si: *Justo lex non est posita*, teste apostolo, I. Tim. I. multo minus beatis, qui iustissimi sunt, nec indigent lege, sed omnia tam prompte agunt, atque nos ridere, cernere, loqui, etc. nobis naturalia. Liberi denique ab omni obstaculo vel arctatione, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrime omnes clausuras, omnia elementa, etc. velut et ipsi angeli, etc.

V. Ibi flos, qui dicitur *clavis cæli*, hoc est, pax sine turbatione aut infestatione, quia beati ibi sunt in fortissima clausura, ubi bonis suis pacatissime fruuntur, nec ab ullo infestari poterunt. Dicitur in Psalmo CXLVII. de cælesti Jerusalem: *Quoniam confortavit seras portarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem. Confortavit seras portarum tuarum. Ita ut nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus*, inquit S. Bernard. in serm. de triplici genere honorum, in eum locum. Multi multa in terris possident bona, sed non possunt iis gaudere, et frui cum lætitia, quia non habent pacem. Multi reges et principes, optima et amplissima habent regna et dominia, sed interim semper solliciti sunt, curis et anxietatibus a somno et cibo sæpe impediuntur: quia eorum fines pacati non sunt, nec regna eorum undique conclusa, sed hostibus pervia et ab illis infesta: atqui ita non tam ipsi habent claves regnorum suorum quam hostes eorum. Et sicut gallina inventa esca statim infestatur ab aliis, quominus ea fruatur libere, sic fit inter homines.

Sed non ita cælo, ubi beati habent claves regni sui et non alius; habent obserata undique mœnia et fines eorum pax sunt. Pax enim et concordia erit inter carnem et spiritum, interque omnes cæli cives. Sicut enim oculus unus verti non potest, quo non vertatur et alter, sed et in eandem partem semper ambo volvuntur: sic corpus et anima, vel etiam societas illa sanctorum nil potuerunt velle contrarium, sed in omnibus semper conspirabunt.

VI. Ex herbis una vocatur alleluia: quæ et ipsa reperitur in cælo, et designat gaudium sine tristitia, quod percipiunt beati ex mutua congratulatione, qua unus de alterius beatitudine gaudet, ut de sua. Hanc herbam vidit in cælo Joannes, Apocal. XIX. cum audivit lætissimum illud alleluia a beatis sæpius ingeminari. Cum enim inter eos summa sit animorum conjunctio, summa est etiam gaudiorum, qualis est fratrum vel amicorum in eodem convivio, uti fratrum Josephi vel filiorum Job. Quemadmodum enim aqua in balneo tanto magis abundat, quanto plures illud intrant, et cum unus ex fratribus fit episcopus vel cardinalis, cæteri etiam gaudent; sic quo major est beatorum numerus, tanto majus accidentale eorum gaudium: propterea dicuntur intrare in gaudium Domini Matthæi capite XXV. Gaudia mundi imperfecta sunt, et ita potius intrant in hominem, quam intrantur: quia scilicet non omnino perfundunt hominem, sed relinquunt locum aliquem tristitiæ: sed non ita fit in cælo, ubi cor et caro exultant in Deum vivum.

VII. Ibi flos, qui dicitur *dies et nox* qui per totam æstatem in hortis reperitur. Designat autem in cælo securitatem gaudii cælestis sine timore amissionis, quod durabit die ac nocte, id est, perpetuo et continuo. Testatur hoc Joannes Apoc. VII. ubi ait se vidisse turbam, ss. *Qui stant ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo ejus*. Tanta nimirum suavitate et gaudio, dum ei serviunt (servire autem Deo, regnare est) ut inde nulla unquam afficiantur molestia: *Secura mens quasi iuge convivium*, dixit Sapiens, Proverb. XV. quale ergo convivium erit beatorum cum se reflectent et cogitabunt hoc gaudium suum perpetuum, et nunquam interrumpendum? Sane quoties id facient, toties quodammodo gaudium totius æternitatis simul percipient. Quam cito finiantur gaudia humana, nemo est, qui nesciat. Si enim lætissimum aliquod convivium, vel nuptiæ durant per unum alterumve diem, interrumpuntur tamen per noctes, et brevi omnino cessant; tunc omne gaudium elapsum cogitandi perinde est, ac si nunquam fuisset. Sed non ita erit in cælo, ubi gaudium beatorum durabit die ac

nocte, id est, nunquam interrumpetur, nunquam auferetur.

VIII. Ibi herba, nomine *dulcedo angelica*, hoc est voluptas sine dolore et omnis generis deliciæ, tam in corpore quam in animo, omnibusque eorum viribus, potentiis et sensibus. Ibi angelicis contemplationibus perfruetur intellectus, angelicis imaginibus recreatur memoria, angelicis gaudiis perfundetur voluntas, hoc est suavissimis. Ibi angelica colloquia miscet lingua, angelicos cantus audiet auris, panem angelorum manducabit os, angelicos odores percipient nares, etc. sicut principum deliciæ ac voluptates superant voluptates rusticorum: sic beatorum deliciæ omnes hujus mundi delicias. Quia scriptum est Psal. XXXV. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ*. Torrentis instar erit ea voluptas, propter impetum et copiam: fontis vero instar, propter perennitatem. Viventium voluptates doloribus permixtæ sunt, adeoque hic omnes cum agrestibus lactucis comedimus nostrum pascha. Recreatur forte os cupediis, sed dolet pes aut stomachus: recreatur auris musica, sed forte etiam audit contumeliam: recreatur oculus visu, sed mons interim tristatur, etc. at ibi plena erit omnium virium sensuumque harmonia nihilque erit quod non angelica voluptate quasi torrente perfundetur. Et idcirco dicuntur in cælo beati manducare et bibere, quod omnia eorum membra et vires exultatione plena erunt. In hac beatitudine, ut ait Sanctus Augustinus, apud Græcos in speculo vitæ humanæ capite VIII. Deus omnes sensus beatorum inestimabili satiabit dulcedine, erit enim omnium eorum objectum: oculis erit speculum, melos auribus, mel palato, balsamum optimum naribus, gratiosissimus flos manibus, etc.

IX. Ibi flos, cui nomen Latine *quo diutius eo charius*, id est, saturitas sine fastidio, teste Ecclesiast. c. XXIV. *Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient*. Omnium mundi bonorum fastidium tandem capimus, et quæ hodie amamus, cras odio habebimus: sed non ita erit in cælo. Unde S. Greg. hom. XXXVI. in evangel. ait: « Corporales deliciæ cum non habentur, grave in se desiderium accendunt: cum vero avidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt: at contra spirituales deliciæ cum non habentur, in fastidio sunt: cum vero habentur, in desiderio, tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet: in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat: in istis autem

appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur. » Hæc Gregor. Unde patet, cur appetitus in beatis nullo unquam fastidio perdat, sed potius augeatur: quia Deus omnium deliciarum fons infinite cognoscibilis est, et quo amplius cognoscitur, eo amplius amatur. Huc respexit psaltes cum ait: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, Psal. XVI. Novo enim semper gustu, nova delectatione Deum videbunt; ad eum modum quo S. Joannes, Apoc. XIV. vidit sanctos stare ante thronum Dei et Agni, cantantes quasi cantilicium novum, quod scilicet infinities decantetur novo semper ac festivo gustu resumatur et iteretur: sicuti et manna illud (quid est hoc?) novum semper gustum, et admirationem pariebat Israelitis, Exod. VI.

X. Ibi herba, quæ vocatur *abundantia*, hoc est, divitiæ sine defectu, et omnium rerum abundantia, teste Domino, Matth. XXIV. *Beatus ille servus, etc. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum*: atqui, Ps. III. ait: *Gloria et divitiæ in domo ejus*: et Ps. CXII. *Abundantiæ in turribus tuis*. Erit autem hæc abundantia, nullius rei penuria; quia nihil temporalium divitiarum desiderabunt, nec egebunt: *Nec enim arca*, ut ait Cicero, *sed animus dives appellandus est*. Aderunt tamen bona omnia, sed præstantiora et altiora, qualia sunt, v. g. in regali palatio, comparatione eorum, quæ sunt in domo rustica, agricola rusticana se supellectile et apparatu instructum videns, divitem se putat, sed si filius regis casam ejus ingrediatur, nihil ibi inveniet, quod aula parentis dignum putet, adeoque omnia contemnet. Videt enim ibi parietes luteos, tectum stramineum, lignum reclinatorium, pro sede truncum ligneum, lances testaceas, cochlearia lignea, cæteraque omnia rudia et sordida, quibus licet delectetur agricola, ipse tamen nihil afficitur: ita beati vilipendunt terrena. Ibi habebunt quidquid Deus habet, præterquam quod Deus esse non possunt. Sicut Josephum Pharaon uno tantum solio præcessit, Genes. XIV. sic pater filii prodigi, dixit ad ejus fratrem (qui typus justorum est): *Fili tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt*, Luc. XV. etc.

XI. Ibi herba *gratia Dei*, id est, gratia et favor Dei: *Gratia enim Dei vita æterna*, ad Romanos VI. Ideo Joannes, Apocal. VII. vidit beatos stantes ante thronum, et in conspectu agni, quia nimirum gratia plurimum valent apud Deum et Christum, ut exponit Pannonius; quemadmodum et, qui principibus adstant, grati iis consentunt, et

multum apud eos posse. Idem Joannis XV. dixit Dominus, cum ait: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos.*

XII. Ibi flos *amicitia*, id est, amicitia integerrima et solidissima cum omnibus sanctis et ipso Deo, siquidem sibi omnium corda pellucida erunt instar vitri: unde Apoc. XXI. civitas illa dicitur: *Aurum mundum simile vitro mundo.* «Non metuum suspiciones, ait S. Bernardus, serm. de triplici genere honorum, non timebo consilia, quia civitas illa, juxta Joannem, purissimo vitro similis erit: ut sicut per vitrum lucidissime ceruimus.» Erunt item ut aurum mundum, id est, purissimi amici: quale aurum in mundo saturum est. Plerique enim amici aurum sunt alchimicum, quod splendorem quidem auri habet, sed non virtutem et efficaciam, unde in medicamentis adhiberi non debet. Plurimos quidem invenies, qui ore se fatebuntur tibi amicissimos, sed ubi eorum operam requisieris, vel ope indigeris, statim tui obliviscuntur, et deceptum te videbis. Unde dicimus: Quod si vera et sincera amicitia tantum amicis parit jucunditatem in hoc mundo, ut Socrates dixerit, nullam esse possessionem pretiosorem vero bonoque amico, apud Laert. lib. II. quam jucundum erit in cælo cum tot sapientissimis et optimis viris perpetuo conversari? Ipse etiam Deus nunquam eos oblivisci poterit in æternum, aut odio habere, qui nec ipsi Deum odio habere poterunt, sed super seipsos, et super omnia alia ineffabili quadam suavitate amabunt, etc.

XIII. Ibi flos *millies pulchrum*, id est, summa pulchritudo. Si enim liliū agri vestit Deus plusquam Salomonem, quanto magis beatos? Inde hodie Ecclesia canit de sanctis in cælo illud Thren. IV. *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Sapphirus gemma cærulei coloris est, punctis quasi stellulis distincta, adeoque faciem representans firmamenti. Quanta ergo putatis erit pulchritudo sanctorum, sapphiros omnes excedens? Quod si reges et principes in familia sua requirunt formæ decorem et elegantiam; et si juvenes qui stare dedebant in conspectu regum Babylonis, debebant esse decori forma, et sine omni macula, atque ob id prius regis epulis enutriti, ut legimus, Dan. I. quanto magis decet, ut quicumque in cælo stabunt coram Deo per omnem æternitatem, gloria et decore fulgeant?

XIV. Ibi herba *solatium oculorum*, et designat perpetuam sanitatem et vitam. Nulla ibi ægritudo vel mors, Isa. XXV. *Præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam*

*ab omni facie.* Nullus ibi dolor, Apoc. XXI. *Abs terget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Quantum hoc oculorum solatium erit nihil amplius triste, sed omnia læta videre?

Quod si igitur vernum tempus et hortorum flores mire nos afficiunt, alliciuntque, ut fastidium recta, et egrediamur ad hortorum et pratorum amœnitatem intuendam, cur non item egredimur passibus desideriorum ex hoc mundi tecto ad conspectum cœlestium pratorum? Licet enim ea nondum oculis usurpemus, certissimis tamen argumentis quasi odoratu investigamus. Si cervi pasuorum ubertate allecti maria gregatim tranant, tametsi non vident terras, sed in odorem tantum earum natant, ut ait Plinius, lib. VIII. cap. XXII. cur non et nos cœlestium pratorum vel odore solo alliciamur ad tranandas difficultates interjacentes et progrediendum in via cœli? In benedictione Issachar ait Jacob patriarcha, Genes. XLIX. *Issachar asinus fortis, vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima: supposuit humerum ad portandam.* Quia ut ait S. Greg. lib. I. moral. cap. XVII. *Superna requie conspecta præceptis etiam gravibus in operatione se subjicit, et quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostendit.* Quando ergo saltem a longe videmus terram illam, quod sit optima, supponamus humerum ad portandum Christi jugum.

## CONCIO VII.

## DOCUMENTA.

- I. Tristitia excludenda. — II. Ad cœlum aspirandum.  
III. In cælo mansiones parandæ. — IV. Progrediendum in via cœli.

## THEMA.

*Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor.*  
Joan. XIV.

Scribit S. Joannes, cap. XX. Christum redivivum sic apostolos suos affatum esse: *Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Christum misit Pater ad ea prædicandâ, quæ in mandatis dederat. Ita Christus ipsemet sapissime testatur, uti Joannis, cap. VIII. *Sicut docuit me Pater, hoc ego loquor vobis, a meipso non loquor.* Pari modo Christus mittit suos præcones ut aliud non doceant, nisi quod ipse inspirat. Unde quivis concionator legitime missus dicere posset suis auditoribus:

*Verbo quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor: sed sicut docuit me Christus sic loquor.* Probe notandum et ponderandum est auditores. Ut enim orator regis non suo auditur nomine, sed regis: et si displicentia loquatur, non ipsi imputatur, sed regi; ita omnino audiendus est Dei concionator. Quare ego ut alias soleo, ita et nunc non meam, sed Christi vobis doctrinam proponere aggredior.

I. Docemur tristitiam et perturbationem ab animo eliminare. Prævidit Dominus concutienda discipulorum corda mœrore et timore, tempore passionis. Ne ergo ex nimia perturbatione de fide prorsus deicerentur, armat eos imprimis fide divinitatis suæ: *Creditis in Deum, et in me credite,* quasi dicat: Scitote me non solum hominem, sed etiam Deum esse, et proinde licet me morientem videritis velut hominem, credite me et Deum esse, qui meipsum a morte suscitare possim. *Mortem metuitis huic formæ servi,* inquit Sanct. Augustinus, *non turbetur cor vestrum: suscitabit illam forma Dei.* Secundo, munit eos spe æternæ gloriæ laboribus eorum destinata: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt,* ad quas parandas a vobis nunc discedo. Iisdem argumentis pellenda nobis est perturbatio e corde nostro.

Primo, clypeo fidei, si oculos in Deum velut revera præsentem nosque intuentem conjiciamus. Hoc utebatur Moyses, cum Deo jubente eduxit Hebræos ex Ægypto credens se per Dei opem evasurum manus Pharaonis: *Fide reliquit Ægyptum,* inquit apostolus, ad Hebr. XI. *non veritus animositatem regis; invisibilem enim tamquam videns, sustinuit, id est, perinde, quasi vidissent eum, qui est invisibilis: ita sustinuit persecutionem Pharaonis, expectabat enim a Deo certam opem et mercedem: hoc utebatur Elisæus, cum ab exercitu Syrorum circumdatus et jamjam capiendus, nihil prorsus timuit sed ministro suo dixit: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis,* IV. Reg. VI. in quæ verba S. Ambros. serm. LXXXVI. ait: *Plures e cælo defensores meretur sanctitas, quam in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Vidit enim propheta circa se exercitum equorum et curruum igneorum, qui sine dubio erant angeli. Nullus ergo labor, nulla difficultas vel discrimen de animi tranquillitate deicere nos debet, cum sciamus ubique præsentem nos habere Deum et angelos ejus.*

II. Clypeo spei. Ut enim alia nobis omnia adiuntur, cœlum saltem, quod omnibus illis majus est, adimi non poterit. Alexander Magnus antequam in Asiam transiret, immunitates, redditus, agros, pagos suos amicis donavit in Macedonia. Cum autem Perdicas amicorum unus ei diceret: *Omnia dando quid tibi retinebis?* resp.

*Spem bonaque Persarum.* Spe enim ingenti fretus, sua esse ducebat, quæ adhuc in potestate hostium erant. Ad hanc ejus vocem Macedones, spretis ejus muneribus sola spe contenti cum ipso mansarunt, Plutarch. in Alexandr. Major et securior est spes nostra: ergo si omnibus mundi bonis exuamur, adeoque ex ipso mundo pellamur, non turbetur cor nostrum; superest nobis spes, bonaque cœlestia: si nullus in orbe locus nobis, ubi manere possimus, concedatur, attollamus ad cœlum oculos et dicamus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quis eas mihi tollet invito? Si patrem habemus in cælo, quomodo nos inde excludet? Si mansiones multæ ibi, quomodo non et pro me una supererit? Symphorianus adolescens sub Aureliano imperatore ad martyrium cum raperetur et vocem matris audiret: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice et tibi regnantem intueri, tibi enim vita non eripitur, sed in melius mutatur:* inde confortatus, fortiter datis cervicibus, subiit martyrium. Potuit hoc vox matris, et non possit idem vox Christi?

Docemur secundo, toto corde ad cœlum aspirare. Eo nos vocant primo, verba Christi: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* secundo, verba Philippi: *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis.* Hic enim audimus primo, veras cœlo, et proprie dictas mansiones nobis paratas esse. Dicuntur Hebræi, Num. XXXIII. per quadraginta tres mansiones pervenisse ad terram promissionis; sed eæ mansiones, non tam mansiones, quam perfectiones (uti vocantur Hebr. Exod. XVII.) seu stationes erant. Unde Ecclesia suas vigilias, et quadraginta dierum jejunia, stationes vocat, ut insinuet nobis, pergere nos ad mansiones cœlestes, nec manentem in hoc mundo quærere civitatem. Errant ergo, qui in terris mansionem sibi quærunt, dicentes: Modo hic manebimus per tot annos; modo ibi per tot alios, etc. Vita enim nostra continua peregrinatio et stationum mutatio est, qualis Hebræorum in deserto, quæ paucis annis absolvitur. Homo: *Fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet,* Job. c. XIV. Umbra semper declinat et fugit nobis licet inadvertentibus, ita vita nostra; umbra retineri nullis creatis viribus potest, uti nec ipse sol, ita vita nostra; Umbra quanto ad vesperam longior est, tanto fini et extinctioni suæ propinquior, ita vita nostra; umbra nunquam in eodem statu permanet, semper rotatur, et aliam atque aliam horam monstrat in horologio; ita vita nostra, nunc læta nunc tristis, nunc abundans, nunc egens, nunc sana, nunc languida, nunc civica, nunc rustica, nunc bona, nunc mala. Vera igitur et propria mansio in cælo tantum nos expectat.